LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS 163 14

QUAESTIONES NICANDREAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XV. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLXV.

HORA XI.

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS LINGENBERG,

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. C. F. GOLDMANN, CAND. PHIL.

I. BINTZ, CAND. PHIL.

HALAE,

FORMIS PLOETZIANIS.

PARENTIBUS CARISSIMIS.

PRAEFATIO.

Alexandrinorum poetarum studia quicunque accurate consideraverit, haud pauca fatebitur in laboribus illorum virorum superesse, quae non mediocrem mentis aciem et subtilitatem criticorum vel grammaticorum requirant. Quamvis enim hominum doctorum industria praesertim hac aetate reliquias temporum posteriorum olim neglectas et contemptas egregie promoverit multisque mendis liberarit, insunt tamen illis monumentis etiamnunc satis obscurae partes, quae coniunctam et multiplicem philologorum operam expectent. Huc igitur cum quantulascunque meas vires conferre statuissem, Nicandrum Colophonium elegi, cui bonas aliquot horas impenderem.

Sane Nicander admodum obscurus est et exilis nec magna pollet facultate poetica; sed minime contemnendus, siquis imaginem poesis post Alexandrum M. excultae velit consummare. Huc accedit quod poeta perplexus, qui singulares rationes in structuris syntacticis et fabrica verborum sequatur ac praeceptis magistrorum in plurimis sermonis Graeci partibus repugnet, non modo largam quaestionibus grammaticis materiam praebet, sed ad historiam etiam artis grammaticae cognoscendam utilissimus est ac paene necessarius. Minoris quidem momenti esse videtur, quod Nicander exempla secutus priorum epicorum significationes verborum ab Homero traditas immutavit vel audacius in figuratum sensum transtulit. Licentiam istam summatim tractat O. Schneiderus in Nicandreis p. 207-211 post doctam Volkmanni Commentatt. epicarum cap. II enarrationem. His igitur missis potius insignem illam novorum vocabulorum multitudinem, quorum species a cousuetis L. Gr. legibus recedit, colligendam et diiudicandam duxi. Sed ante-

quam ad mirabilem poetae thesaurum accedam, quasdam observationes de illius numeris verborumque mensura praemittere libet. Etenim iure suo Bernhardyus (hist. litt. gr II b. p. 644.) pronunciat: „bei Nicander überwiegt der Mann von Fach, der Dichter ist untergeordnet. Er beweist kein poetisches Talent, nicht einmal sicheres Sprachgefühl“ et p. 645. „seine sprachlichen Neuerungen verfälschen Prosodie und Formen.“

Caput I.

De versuum mensura.

Nicander cum et bestiarum et ciborum venena eorumque remedia versibus includeret, materiam sine dubio difficillimam numeris accommodandam suscepit. Quodsi minus mirandum est versus eius obscurissimis et reconditis verbis refertos non adeo eleganter currere, quippe qui ne ad Aratum quidem Solensem aspirent, tamen poeta haud reprehendendus est, quod ab Homeri legibus metricis recessit. Constat inter omnes apud veteres epicos caesuram regnare post primam tertii pedis syllabam, quam semper fere sequitnr una alterave incisio. Seriores autem epici non male fecerunt quod ad alteram caesuram illam ne ab Homero quidem Hesiodoque alienam deflexerunt quae vocatur *κατὰ τρίτον τροχαῖον*. Sic Aratus et Apollonius Rhodius, quos alteram alteri prope adaequasse inveni, et praeter alios Nicander. Itaque G. Hermannum (Orph. p. 692. elem. doctr. metr. p. 333. 336. sq.) non probo, qui apud omnes ab Homero usque ad Nonni aetatem epicos eam caesuram, quae appellatur *πενθημιμερής*, primariam fuisse censuit. Nicander autem quantopere caesuram *κατὰ τρίτον τροχαῖον* praetulerit hoc computo demonstramus. Extant caesurae semiquinariae in omnibus Nicandri carminibus exempla DCXXV, praetermissis autem in quibus semiquinariam particula aliqua ut *τε*, *τοι*, *τι* excipit (hos quidem Gerhardus lectt. Apoll. p. 133. 137 semper in ordinem eorum refert, qui caesuram *κατὰ τρίτον τροχαῖον* habent), versus qui post tertium trochaeum incidunt numerum, paene duplo maiorem (MLV) praebent. Jam

vero cum hexameter dactylicus plures admittat caesuras, paulo uberius quam a. R. Volkmanno (de Nic. Col. vita et scriptis diss. p. 24. sq.) factum est incisionum consociatarum species certis finibus circumscribere conabor. Varietates enim in hoc genere tantas Nicander affert, ut certas leges constituere difficillimum sit. Efficiuntur vero caesurae hae: primaria quidem caesura in tertia sede trochaica coniuncta cum semiseptenaria[1]) habet exempla CCCLIII; sequitur eadem una cum incisione aut post quinti dactyli arsin (exempl. CLII) aut post quintum trochaeum, ita tamen ut plerumque caesura in priori versus parte praecedat (exempl. CLXIII); nec minor eorum est numerus, qui eandem coniungunt cum caesura post quartum dactylum, quae vocatur bucolica, siquidem exemplis CCLVIII probatur. Denique notanda caesura duplex non raro adhibita semiseptenaria et bucolica in eodem versu cum trochaica ita coniuncta, ut una alterave praevalere soleat. Constat exempl. CXXX.

Jam videamus altera caesura, quae vocatur πενθημιμερής quibuscum coniungatur. Hanc qui exhibent carminum Nicandreorum versus plurimi semiseptenariam solam (exempl. CCCXXXV) adiungunt. Sed eorum maiorem partem poeta ita elaboravit, ut quamquam semiquinaria adest, tamen semiseptenaria cum praecedenti caesura post secundi pedis arsin coniuncta praevaleat; quo fit ut tres nascantur aequabiles versus partes (e. g. Th. vv. 215. 259. 293. 299. 325. 352. 356.), cui versuum generi iure tribui duplicem caesuram censet Gerhardus lectt. Apoll. p. 129. Eundem paene numerum explent versus, qui caesura bucolica una cum semiquinaria dissecantur, (exempl. CCLXXXII). Rarissime vero caesuram et post quintam arsin et post quintum trochaeum in eiusdem versus tenore cum semiquinaria consociavit Nicander. Versibus enim omissis, in quibus particulae τε, γε, δὲ, μὲν, δὲ tertii pedis arsim excipiunt, octo tantum (Th. v. v. 79. 318. 387. 451. 597. Al. v. v.

---

[1]) Hoc loco non omittendum esse videtur, etsi Volkmanno semiseptenariam meram semel tantum inveniri concedo, plures extare versus, in quibus haec caesura interpunctione adiuta alteram, quaecunque est, vincat. Cf. Th. 288. 289. 460. Al. 167. 278. fr. 81, 2 ap. O. Schneiderum.

325. 415. fr. 74, 17.), sed ab omni dubitatione vindicati supersunt. [1])

Restat quaestio subdifficilis, num poeta caesuram quae vocatur *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* admiserit. Veteres sane grammatici hanc caesuram reiiciunt, ac satis habent tres vel quattuor versus heroici caesuras enumerasse: cf. G. Herm. elem doctr. metr. p. 334. Gerhard. lectt. Apoll. p. 128. Sed nostri temporis viri docti consentiunt eas incisiones appellandas esse caesuras, quibus vel post arsin vel post primum thesis tempus verbum finiatur. Cum igitur quinque, quae masculae, quinque quae femininae dicuntur, caesurae agnoscantur, probabiliter illam quoque *κατὰ τέταρτον τροχαῖον* caesuram concedi licet. Pauca quidem exempla feruntur apud Homerum [2]), neque immerito Hermannus Orph. p. 694 nonnulla falso tradita ideoque exterminanda esse censet. Extant etiam Hesiodi versus, qui huc quadrent; dein Arati unus indubius, quem Hermannum nimis audacter sustulisse Loebe (de Arati elocut. diss. p. 5.) contendit.

Nicandrum idem Hermannus laudat quod hanc caesuram vitaverit, unicum exemplum (Th. 728.) emendans, Orph. p. 695 *γούνων δὲ οἱ ἔκλασε δεσμά*, praestat tamen O. Schneideri scriptura, quam exemplis etiam confirmavit p. 260. Sed non temere crediderim duos versus proferri posse, qui Nicandrum demonstrent non prorsus ab illa caesura alienum fuisse.

In Th. 603 (*πῖνε δὲ μιξάμενος κυάθῳ τρὶς ἀφύξιμον οἶνην*) caesuram trochaicam inter voces *τρὶς ἀφύξιμον* posuit, nec, ut opinor, sine certo consilio. Nam vis remedii, quod commendat magis extollitur, cum in recitatione, caesura post verbum *τρὶς* facta cogimur paulisper consistere. Alterum exemplum est in eiusdem carminis v. 702 (*μέγ' ἀλέξιον*), ubi apostropho intercedenti vis caesurae debilitatur. Ceteri versus post quar-

---

[1]) Non enim assentior Volkmanno qui semiquinariam nunquam per se positam esse nisi sequente caesura post quartum dactylum contendit, duos autem modo versus (Th. 318. 597), qui cum hac observatione pugnent, se invenisse dicit.

[2]) Notissimum legitur in Il. IX. v. 394. *Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός*. cf. Spitzn. de versu her. p. 11 sqq.

tum trochaeum incisi omnes ex legibus illis ab Hermanno inventis diiudicandi sunt, quas Orph. p. 693. elem. doctr. metr. p. 338 sq. breviter descripsit. Tum in plurima exempla cadit Hermanni lex ut monosyllaba vox, quae ad sequentia trahatur, si sit in secunda quarti pedis syllaba, prorsus non animadvertatur caesura trochaica. Nec pauca exempla reperiuntur, in quibus versus inter verbum aliquod et sequens δέ dividitur. Porro multi sunt versus, in quibus caesura (inter formulas δὲ οἱ, γε μὲν, δέ τε) vix animadvertitur.

Hinc ad productionem brevium syllabarum finalium ob caesurum sequentem progredimur, de qua Hermanni quaestiones (Orph. p. 697. seqq.) nemo ignorat. Nicander autem istam licentiam raro concessit. Nec supervacaneum videtur ad exemplar ab O. Schneidero accuratissime castigatum singulos locos deinceps perlustrare.

E Theriacorum carmine Hermannus quinqne versus enotavit. Primum v. 101, in quo adiectivi νεοσφαγέος exitum productum tutantur Hermannus exemplis Arati et Apollonii et Spitznerus (de v. h. p. 63 sq.). Huic simillimum est v. 591 παλαισταγέος οἴνοιο. Eiusdem generis est δάκεος in v. 282, quod exemplum productionis ad prius accedit. Tertium exemplum κατὰ μέσον in v. 468, quem Hermannus vitiosum duxit, locis a Spitznero allatis (l. l. p. 25.) excusatur qui hanc productionem apud Homerum et posteriores epicos frequentem illustrant. Contra σπέρματα v. 943 propter insolitam productionem vocalis α ante κ suspectat Hermannus, quare veretur, ne Nicander σπερμεῖον scripserit. Sed cum ipsius exempla ex Homero citata tum Spitzneri (l. l. p. 24.) verba non nimis audacem me esse confirmare mihi videntur, si Nicandrum praecipue interpunctione posita hanc productionem admisisse contendam. Ex Alexipharmacis duo modo exempla protulit, quorum alterum propter metri vitium (v. 398.), quod etiam O. Schneiderus agnovit, emendatione ἐπεί sanari posse, alterum (v. 504.) nihil offensionis habere censet.

Iam expendamus singulos versus, quos Gerhardus (lectt. Apoll. p. 114) adiecit. Primum quod arcessivit exemplum (Th. 536) ab Hermanno omissum Spitzneri (p. 37.) testibus satis defenditur. In Th. 673 τύπον nescio unde Gerhardus

arripuerit: omnium enim et codicum et editionum scriptura est *τυπήν*.[1]) Tertii Th. v. 876. producta syllaba tollitur optimorum codicum lectione *πέπεριν*, quam editores Nicandri amplexi sunt. Tandem Th. v. 739, quem ille iure corruptum esse censet (p. 116.) G. Schneideri emendatio (ad Th. p. 157.) reliquis editoribus probata bene sanavit *προσαλίγκιον* pro *παναλίγκιον*; quamquam ne hoc quidem prorsus legi metricae repugnare loci apud Spitznerum (p. 43. sq.) arguunt.

Quae autem idem Spitznerus (p. 64.) exempla recensuit, ut Nicandrum istam licentiam sibi indulsisse probaret, fraudi fuit viro dilligentissimo mendosum Nicandri exemplar, quod versabat. Nam post nuperam poetae emendationem vitiosi versus paene omnes illis erroribus liberati sunt. Al. v. 253. enim iam G. Schneideri emendatione (Al. in addend. p. 335.) restitutus est; v. 362. autem (*βιαζόμενος ἦ*) ad legem supra dictam pulcherrime quadrat. Deinde v. 273 lectio *κλοπήν* optimi codicis (cf O. Schneid. p. 289), correxit. Th. v. 593., in quo Spitznerus (p. 59.) dubitavit utrum *ἀπό* an *ἄπαι* melius scriberetur (cf. Herm. Orph. p. 713) codicum aliquot scriptura *ἀπὸ μέσον*, quam editores receperunt, expeditus est.

De attica correptione subtiliter explicavit Hermannus (Orph. p. 755 sqq.) et poetarum didacticorum usum ita persecutus est, ut quod addam nihil afferre possim. Is ex Nicandro versus XXXI in quibus poeta hanc licentiam sibi sumpsit enumeravit, quibus multos se addere posse Spitznerus (p. 100) testatur.

De hiatu epicorum Graecorum leges Herm. Orph. p. 720 sqq., Spitzn. p. 108 sqq., Gerh. p. 106 constituerunt, ad quas Nicandri usum deinceps exigam. Quodsi a septem locis exordimur, quos Hermannus enumerat, ex eorum numero unus (Th. 536. *σπέρμα ὅτου*) ut tollatur codicum scriptura *τό τε* pro *ὅτου* efficit. Deinde Th. v. 331 *τροχόεντα ἐπιστίζουσι* cessit obti-

---

[1]) Versus Th. 119. Al. 347, quos Gerh. (p. 160 sq.) productam habere particulam *καί* censuit, ab O. Schneidero qui utroque loco optimis codd. revocavit *δὲ καί* emendati sunt.

morum codd. lectioni τροχόεντες. Inter eos locos, quos Gerhardus (p. 180.) corruptos esse censet, in Th. v. 636 et Al. v. 427. cod. Parisini scriptura ἠδὲ καὶ et ἀμφὶ καὶ reficiuntur; nam in particulis καί et ἤ saepissime recentiores poetas hiatum admisisse Spitznerus p. 109 ostendit Th. v. 846., quod hiatus exemplum enotarat idem Spitzn. p. 153, nunc ita plerumque legitur, ut hiatus, si scribatur ἴν' οὐκ pro ὃ οὐκ (cf. O. Schneid. ad l. p. 266.), prorsus removeatur. Denique adiecit Th. v. 326. et Al. v. 540, quorum alter habet hiatum usitatissimum in voce καί, alter (καθεψηθέντα ὅσους) vera lectione καθεψήσειας ὅσους sanatur. De reliquis a Spitznero (p. 109) allatis Th. v. 673 emendatio κανθῷ ἐνὶ ῥαντῆρι cod. optimi auctoritate firmatur, versum autem Th. 82 esse interpolatum constat nec legendum ἐσθλοῦ ἁβροτόνοιο, sed quod cod. Parisinus praestantissimus praebet ἐν μὲν θ'ἁβροτόνοιο.

Superest ut in hac doctrinae metricae parte versus spondiacos commemorem. Hos non raro constat a poetis epicis ita usurpatos esse ut verborum cursus paulum impeditus sententiae gravitatem intendat. Nicander autem quamquam hanc artis legem non nimis eleganter servavit, in versus tamen spondiaci mensura diligenter egit. Nam inter quadraginta versus spondiacos, quos e carminibus Nicandreis collegi, octo tantum vocabulo trisyllabo clauduntur, ceteri verbis, quae quattuor aut pluribus syllabis constant, terminantur [1]). Quod autem Gerhardus (p. 143.) de versu spondiaco copiose disseruit, Th. v. 877. exitum πολυανθὴς γλήχων vituperat, ab hoc vitio poetam liberavit O. Schneiderus, qui ex codd. aliquot recepit lectionem πολυάνθεα.

---

[1]) Cum hoc fr. 82 non pugnat, vocabulo trisyllabo, quod excipit particula τε (ἐντμήξας τε), finitum, nam illud τε cum priori cohaeret, ut in unum verbum coalescat.

Caput II.

De syllabarum mensura.

Postquam Nicandri rationes metricas cognovimus sequitur ut alterum primae partis caput perficiatur, quod est de syllabarum mensura. Iam quaerendum est quatenus Nicander ab usu recepto in correptionibus et productionibus vocalium recesserit, siquando nullum auctorem secutus variam mensuram sibi permiserit.

Ac primum substantiva aliquot notanda sunt, quae Nicander aliter metiri solet quam priores. Ut primam vocalem nominis *δρυμός* Homerus corripit (cf. Jl. XI, 118. Od. X, 150. *διὰ δρυμὰ πυκνὰ καὶ ὕλην*), quam mensuram epici recentiores tenuerunt, in quibus est Qu. Smyrn. II. 382, Nicander vero producere non dubitat, habuit tamen quos sequeretur poetas tragicos: cf. Eur. Hipp. 1227: *δρυμὸς τ' ὄρειος, ὅθι κυνῶν*, et Rhes. 289: *παρέσχε δρυμὸν νυκτός ἔνθηρον μολών*. Invenitur autem *δρυμὸς* trochaicum apud Nicandrum duobus locis (Th. 28. 489.), quorum prior cum alterum repetat, tanquam interpolatum O. Schneiderus notavit. Correptam vocalem *υ* habet Th. v. 222. Prout igitur metrum postularet, poeta mensuram variavit. — Nominis *Θρήικες* secundam syllabam Homerus correptam frequentat, produxit Nicander, non ille primus sed post Apoll. Rhod. I. 24. 632. (*Καλλιόπη Θρήικι*) et Arat. v. 335 *ἡ μὲν γὰρ Θρήικος ὑπὸ πνοιῇ βορέαο*. In Th. v. 52 substantivum *πρίων* cuius priorem syllabam producunt Soph. Trach. 699. *μορφῇ μάλιστ' εἰκαστὸν ὥστε πρίονος* et Aristoph. Acharn. 36, Nicander corripere ausus est, nec tamen sibi ipsi constat, quod Al. v. 283 in verbo *καταπρίειν* solitam mensuram non mutat. Tum nomen *μυελός*, quod in Homericis carminibus semper primam syllabam producit, Nicander ad Atticorum mensuram (Aesch. Ag. 76. *μυελὸς στέρνων*, Soph. Trach. 781. *κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει μέσου*, Eur. Hipp. 255. *μυελὸν ψυχῆς*) revocavit. Sed adiectivum *μυελόεις* in Al. v. 59 obvium secundum veteres mensus est, siquidem *μυελόεντα* correpta prima vocali in versu dicere non licuit. — In voce *μύωψ* Nicander ter priorem Th. vv. 417. 626. 736. produxit, Apoll. autem Rhod.

v. I. 1268. *ως δ' ὅτε τίς τε μύωπι τετρυμμένος ἔσσυτο ταυρος* et Qu. Maec. v. (anth. gr. VI. 233.) *κέντρα τ' ἐναιμήεντα διωξ-ίπποιο μύωπος* corripiunt. Porro mediam syllabam vocis *βάλ-σαμον* produci (Th. 947. Al. 64.) monet Dind. thes. Par. II. p. 97. Alia similis licentiae collegerunt O. Schneiderus ad Th. 947. 243. 789. et Meinek. exerc. in Ath. I. p. 8., qui Nicandrum observat *νεαλής* (Al. 358. 364. 461), *γερύνων* (Al. 576. Th. 620), *ῥαδάμνους* (Al. 92.) paenultima brevi dicere non veritum esse; postremum tamen, si probamus scripturam O. Schneideri *ῥαδά-μους* ex illorum numero sublatum est.

Ex adiectivis tria potissimum breviter attingere libet. Nullius vocis quantitatem adeo variat hic poeta quam adiectivi *ἶσος* omniumque vocabulorum affinium. Nam adiectivum ipsum quinquies (Ath. 268. 680. 761. fr. 70, 2. 14.) corripuit, produxit ter (Th. 943. 259. fr. 70, 14), quorum uno loco (fr. 70, 14.) quod iunctim legitur *ἶσον ἴσῳ* notissimum Homeri versum (Jl. V. 31.) *Ἄρες Ἄρες βροτολοιγέ* in memoriam revocat; adverbium vero *ἴσως* semper producit. — Adiectiva derivata multiplices propagines ostentant; nimirum poeta, ne repetitis iisdem verbis lectorem defatigaret, novis vocabulis componendis, quae sensu non multum differant, insignem varietatem introduxit: id quod probant octo adiectiva ex voce *ἶσος* vel derivata vel cum hac composita, in quibus eadem regnat metiendi licentia. Ceterum in adiectivo *ἰσαῖος* (Th. 360.) etsi primam syllabam longam habet, tamen minus sibi constitit, qui verbi *ἰσαίομαι*, duobus locis (Al. 399. fr. 74, 56.) primam vocalem corripiat. Idem variandi studium declarat adiectivum *ἰσήρης* quod in Th. v. 643. in secunda dactyli sede productum, in Th. v. 788. correptum legitur; *ἰσοαχθής* autem in Th. v. 44, quod O. Schneid. ex cod. Parisino petiit, poeta brevi vocali *ι* usurpavit. In eandem mensuram coguntur adiectiva *ἰσοελκής* (Th. 41.) et *ἰσόμοιρος* (Th. 592), a quibus cur differat *ἰσόμορος* (Th. 105) hexametri necessitas docet. Subsequantur prima syllaba producta adiectiva *ἰσορρεπής* (Th. 646) et *ἰσώνυμος* (Th. 678). — Verba ex hoc fonte deducta tria primam corripiunt *ἰσάζομαι* Th. 286. 886, *ἰσαίομαι* Al. 399 fr. 74, 56, *ἰσοζυγέω* Th. 908, productam ostendunt duo, *ἰσοδρομεῦσα* fr. 74, 33, *ἰσοφαρίζειν* Th. 582, quae brevi vocali non potuerant in versum includi. Suo iudicio poe-

tam obsecutum esse demonstrat etiam usus adiectivi χλιαρός (Th. 947 cf. O. Schneid. ad l.). Cuius fons est verbum χλίω, unde fluxit apud Aesch. Ch. 137 χλίουσι molossum efficiens. Eandem mensuram habet verbum χλιαίνω Aristoph. Lys. 386. Sed adiectivi mensuram cum Nicander immutaret, non tamen arbitrio sed auctoritatibus probis motus egisse videtur, si fidem optimorum poetarum (Aristoph. Eccl. 64. Soph. ap. Ath. XIII, 604. F.) spectamus. —

Dein ἁλίβαπτος (Th. 605) — nam de aliorum mensura insolenti O. Schneid. ad Th. 243. disputavit — paucis memorandum est. Id si re vera Nicander vocali ι producta posuisset, insigne testimonium pravae in syllabis metiendis licentiae documentum extaret. Sin O. Schneideri scripturam optimo cod. defensam sequimur, haec insolentia evanescit. Quam lectionem etiam lex commendat, quam Homerus praeierat ut vocalis ι corripiatur in iis adiectivis, quorum prima pars sit αλι, cf. Od. IV, 361. πνείοντες φαίνονθ' ἁλιαέες. Il. XXI, 190. ποταμῶν ἁλιμυρηέντων, eundemque usum posteriores poetae servant, Nonn. D. XLII, 17. ἁλιγείτων, Aesch. Pers. 271 ἁλιβαφῆ, Orph. Arg. 342 ποταμῶν θ' ἁλιμυρέα ῥεῖθρα. Quapropter cum alia vocabula, quae hanc correptionem vocalis ι ante mutam litteram probent, neque Nicander neque alii poetae praebeant[1]), hoc vitium Nicandro videtur eripiendum esse. — Adiectivum ὑετός, quod mutata mensura Nicandrum uti O. Schneid. (ad Th. v. 243.) monet, pariter Aratus v. 804 ἄλλοθι δ' ἄλλο μελαινομένῃ δοκέειν ὑετοῖο in eadem versus sede posuit.

---

[1]) Nam Spitznerus p. 100. etsi tria exempla Homeri prompsit, quae rem ambiguam fulcire videantur, recte tamen negare videtur recentiores nisi forte in uno alterove quod Homerus praeierit exemplo, idem sibi permisisse.

Caput III.

Agitur de vocabulis Nicandro propriis.

Poetae Alexandrini cum carmina sua artificiosius elaborarent, quibus reconditam eruditionem ostentarent hominumque animos commoverent aut inflammarent, non alienum esse putabant, quoties res postulare videretur, obsoleta vocabula vel nove formata tanquam gemmas inculcare. Quo factum est ut dictionis color persaepe contaminaretur et obscuraretur atque verborum thesaurus ingenti vocabulorum multitudine premeretur. In hoc autem genere Nicander plerosque audacia superavit, ultra legitimi sermonis terminos longius quam par fuit evagatus. Non enim satis habuit e reconditis litterarum fontibus et ignotis dialectis verborum acervos derivare, sed novator etiam et artifex linguae mirificis ingenii sui inventis Graeciam locupletavit. Itaque operae pretium spero me facturum, si quae Nicander singularia vocabula vel primus vel solus disseminavit collecta in ordines redigamus, comparatis etiam quae apud priores poetas extant similiter formata.

In percensendis singulis verbis litterarum ordinem sequar, ut facilius quodque perspiciatur.

I. Nomina substantiva.

Initium quaestionum ducam a substantivis quae terminantur in *ειον*. Horum quae Nicander procudit, novam ingressus viam, XXI sunt.

Huius enim ordinis duo extant genera, alterum quod ab appellativis ductum ad loca pertinet, ut *χαλκεῖον*, (cf. Matth. gramm. I. p. 280. Buttm. gr. ampl. II. p. 414. 424.), alterum templa vel diis consecrata loca significat a nominibus propriis profecta, ut *Ἀπολλώνειον*, *Θήσειον*, cf. Buttm. II. p. 422. Lobeck. Phryn. p. 367. sqq. Tertiam viam Nicander institit, item ut alii scriptores recentioris aetatis, qui vocabulorum frequentant paragogas vel formas ad paraschematismum figuratas[1]). Sic nullo significationis discrimine dicuntur *ἄγγος* Od. IX, 222.

---

[1]) Cf. Lobeck. Parall. p. 320. sqq. Proll. p. 7. 10. sqq.

et *ἀγγεῖον* Plat. Polit. p. 287. E., *κυμβεῖον* Diog. Laert. III. 42. et *κύμβη*[1]) Nic. Al. 164., *σῆμα* Il. II. 308 et *σημεῖον* Herod. II. 38. Cf. EM. p. 247,51: *ὡς οὖν δάνος δάνειον οὕτω τέλος τέλειον.* Alia contulit Lob. Parall. p. 323 sq., Phryn. p. 173. 261. Rhem. p. 303. Huiusmodi duodecim finxit Nicander manifesto paragogae exempla.

βλαστεῖον Al. 609 idem quod *βλαστός*, sive quo Scholion utitur *βλάστημα*: cf. Eutecn. ap. G. Schneid. p. 290 *βλαστοὺς τῆς βοτάνης.*

δαύκειον Th. 858. 939. Eutecnius in metaphrasi *δαῦκός τε ὁμοίως* ap. G. Schneid. p. 365. Adde Dioscoridis verba III. 76. (cf. Lob. Elem. I, 429) *δαύκος οἱ δὲ δαύκειον κάλουσιν. δορπήιον* Al. 166. (eadem ionica forma recurrit in nomine *θρομβήιον* Al. 295.) Scholiasta interpretatur *ὅστις ἀφρὸς τροφὴ τοῦ κέπφου.* Apparet vocem a simplici *δόρπον*[2]) non seiungendam esse. — *καρπεῖον* Al. 277. Recte H. Stephanus in thes. s. v. verba Nicandri *καρπείου σιδόεντος κάλυμμα* vertit, ‚cortex mali punici.‘ Ne hoc quidem differt a primitivo *καρπός.* Cetera breviter enumerabo:

πετάλειον Th. 628. 638. *πτορθεῖον* Al. 267. *σπερμεῖον* Th. 599. 894. 900. 944. Al. 201. *στρομβεῖον* Th. 629. *χαράδρειον* Th. 389. *κυάθειον* Th. 591, ubi Eutecnii verba (ap. G. Schneid. p. 349.) *καὶ οἴνου παλαιοῦ κυάθους β'* luculenter significatum demonstrant.

Ceterum *θρομβήιον* Al. 295., quod supra tetigi, paragogis annumerari debet, nec quicquam habet commune cum deminutivo *θρομβίον* (ap. Diosc. VI, 25.), sed a *θρόμβος* eadem via proficiscitur, qua *δορπήιον* a *δόρπον*: cf. Lob. Proll. p. 472 sq. Neque aliter hoc accipiendum esse quam simplex *θρόμβος* docet Alex. 373 *ἐν καί που ταμίσοιο ποτὸν διεχεύατο θρόμβους.*

---

[1]) Bekk. Anecd. p. 274, 28 *κυμβεῖον, εἶδος ποτηρίου παραπλησίου τῷ σχήματι πλοίῳ, ὃ καλεῖται κύμβη.*

[2]) In transcursu notamus masculinum *δόρπος* in Al. 66 (*παναεργέα δόρπον*) extare, quod uno tantum Quint. Smyrn. loco IX, 401 confirmatum invenitur. Idem Nicander cum solus *τὸ σπεῖρος* pro *σπεῖρον* (Lob. Rhem. p. 299. n.) usurpaverit, formam nomini *δένδρον* aequiparavit, quod aliam habet *τὸ δένδρος* cf. Eust. Il. p. 396, 22.

Quae sequuntur vocabula in *ειον* quamquam ad eandem formandi legem exigenda sunt, tamen ut seorsum a ceteris collocarentur ratio suadere videbatur: dico *καυλεῖα* (Th. 75. 535. 882.), *κορσεῖα* (Al. 135.), *ῥιζεῖα* (Al. 265.). Alterum enim formam in *εον* exeuntem ipse Nicander servavit. Quamquam dubitari potest cum G. Schneidero (praef. Th. p. VI.), unde altera forma in *εον* orta sit. Sententiam ille suam his verbis pronunciat: ‚Equidem cum Bernardo formam antiquam *ῥιζία*, *καυλία*, *κορσία* praefero: cui poeta grammaticus, ubicumque metrum syllabam longam flagitabat, more saeculi sui vocali adiuncta, alteram *ῥιζεῖα*, *καυλεῖα*, *κορσεῖα* substituit; quemadmodum Aratus versu 986 *κεγχρείοισι* dixit pro *κεγχρίοις*.‘ Sed argumentationem ipse Arati locus labefactat, cum nomen *κεγχρίον* extitisse non possit ostendi. Probabilius de paragoga cogitabimus eamque a *κέγχρος* eodem modo deductam opinamur, quo *σπερμεῖον* a *σπέρμα*. Nobis igitur placet formas in *εον* eandem fingendi rationem sequi, quam vocabulum *δένδρειον* (Th. 883), quod tres ostendit hasce terminationes: *δένδρον* vulgarem, *δένδρεον* epicam et ionicam potissimum Homeri et Herodoti, *δένδρειον* apud Arat. Phaen. v. 1008 et Nicandrum, quemadmodum respondet epica forma *ἀδελφειός* Herodoteo *ἀδελφεός*. Contra *καυλεῖα*, *κορσεῖα*, *ῥιζεῖα* non magis ad *δένδρον* nominis vices quadrant quam *καύλεα*, *κόρσεα* (sic enim ex optimorum codd. auctoritate scribendum est), *ῥίζεα*.

καρφεῖον Al. v. 118, etsi paragogae clarum praebet exemplum, tamen de primitivi significatione parum constat. Scholiasta enim cum *καρφεῖα κέδρου* interpretatus sit *ψήγματα*, simplex aliter intelligit ad Al. v. 230. *τὰ κάρφη, ἤγουν τὰ δέρματα ἢ τὰ ἄνθη*, et ad Al. v. 490. *τὰ σκληρὰ κάρφη, ἤγουν τοὺς ἁπλοῦς κόκκους*. O. Schneiderus nomen *κάρφος* inter eas glossas refert (p. 209), ‚quorum hodie nescimus auctores‘, alio tamen loco (p. 281.) *κάρφος* idem esse quod *καρπός* (cf. G. Schneid. ad. Th. p. 172.) censet.

ἐχίειον Th. vv. 65. 637, *μυρμήκειον* Th. v. 747, *σμυρνεῖον* Th. v. 848. Al. v. 405. fr. 71, 3, *σφήκειον* Th. v. 738 componenda esse censui tanquam paronyma, quae eidem derivandi formandique legi subiecta notionem induant a primitivis discrepantem. Nam *ἐχίειον*, quod cum Lob. Elem. I. p. 430 per

paragogen ab ἔχις effectum esse crediderim, terminatione similitudinem aliquam cum serpentis figura depingit, re vera herbam significat; μυρμήκειον (Th. v. 747. ὃ δὴ μύρμηξιν ἔικται) et σφήκειον (Th. v. 738. σφηκὶ προσαλίγκιον ὠμοβορῆι) iure cum ἐχίειον componemus. Tandem σμυρνεῖον (Schol. σμυρνεῖον δὲ, ἐπειδὴ ἐμφερές ἐστι σμύρνῃ κατὰ τὴν ὀσμήν) habet gemellam formam σμυρνίον ap. Diosc. III. 78, quae si Lob. Parall. p. 324 fidem habemus, illa usitatior fuit; quamquam idem non pro certo affirmat, utrum σμυρνεῖον ex σμυρνίον productione (Proll. p. 496 sq.) an paronymiae exemplum sit (Proll p. 80.). Equidem posterius praefero, Salmasii (in Solin. p. 684. B.) secutus observationem: „Multa nomina herbarum ab antiquis enuntiata παραγωγικῶς, recentiores ὑποκοριστικῶς extulerunt. σμυρνεῖον veteribus, σμυρνίον posterioribus Graecis . . . . . Ita absolute δρακόντειον olim, sequens aevum δρακόντιον dixit.“ Quare σμυρνεῖον paronymum esse videtur ad eandem normam quam ἐχίειον ostentat a poeta fabricatum.

Ad substantiva in ας progredimur, quorum non pauca Nicandro soli debemus; sed habuit suos quos sequeretur auctores. Neque enim apud veteres talia vocabula prorsus desiderantur. Apud Nicandrum vero nova huius ordinis vocabula leguntur: ἀνδρακάς Th. 643. ἀγαλλιάς fr. 74, 31. ἀγριάς Th. 89. βοσκάς Th. 782. Al. 293. διψάς Th. 125. 334. ἐρινάς Th. 854. ἰάς fr. 74, 2. ἰωνιάς fr. 74, 60. κατοικάς Th. 558. Al. 60. 535. κιρράς Th. 519. κηκάς Al. 185. λευκάς Th. 849. μυρτάς Th. 513. οἰνάς Al. 355. 444. οὐλάς Al. 260. ὀρχάς Al. 87. παυράς Th. 210. ῥιζάς Al. 531. σηπιάς Al. 472.

Ex hoc numero duodecim substantiva esse structura verborum aperte docet.

Ac primum ἀνδρακάς apud Homerum Od. VIII. 14 adverbii loco legitur (cf. Lob. Parall. p. 321. p. 154. n.). Nicander accusativum quasi a nomine in ας ductum interpretatus est, ut ἀνδρακάδα ἰσήρεα partem virilem (Schol. ἀνδρακάδα δὲ τὴν μερίδα φασὶν οἱ νεώτεροι) acciperet.

ἀγαλλιάς O. Schneideri (p. 102.) fr. 74, 31 emendationi debetur, quae ad codd. lectionem (ἀγαλλιάσῃ δ') propius accedit quam quod Lehrsii commentum ἀγαλλίδι. Ceterum nomina

in *ας* et *ιας* saepe sine ullo sensus discrimine poni demonstrat Lob. Proll. p. 464.

διψάς adiectivum femininum esse certis poetarum locis constat: velut Apoll. Rhod. I. 1147 *διφάδος ἐκ κορυφῆς* posuit. Nicander autem *διψάς* substantivi loco habuit viperae speciem intelligens, qua qui morsus esset, *ἀμφὶ δὲ καύσῳ χείλε' ὑπ' ἀζαλέης αὐαίνεται ἄβροχα δίψης*. Imitati posteriores sunt ut Ael. N. A. VI. 51. — *ἐρινάς* substantivi vim semper obtinuit. Nicander autem terminationem *ος* in *ας* ausus est transformare (*ἐρινάς* ex *ἐρινεός*, cf. Eutecn. ap. G. Schneid. p. 384. *καὶ ὄλυνθοί τε ἐρινεοῦ*), quam rem accurate explanavit Lob. Proll. p. 443. Atque eodem decurrit *ιάς*, quod in fr. 74, 2 iam a Scaligero restitutum est. Placuit illud Nicandro, verborum artifici, quemadmodum aliis *συρμάς* pro *συρμός*, *σπιλάς* pro *σπίλος*; accedunt *βουνιάς* (i. q. *βούνιον* Lob. Proll. p. 443.), *οἰνάς* (i. q. *οἶνος*; contra Hesych. *οἰνάδες ἀμπελώδεις τόποι*, Opp. Cyn. IV. 233 *Μαινάδες οἰνάδες* i. e. vino gaudentes; cf. Meleagr. XII, 49), *ὀρχάς*[1]) (i. q. *ὄρχος*), audacter facta.

Loci sensus quo *ἰωνιάς* extat docet poetam loqui de violis humilibus (*χαμηλάς*). Sed utrum a nomine *ἰωνιά* id quod praefero, derivaverit, ut *καλιάς* a *καλιά*, *σηπιάς* a *σηπία*, an ab alia stirpe profectus sit, in medio relinquam.

λευκάς item ut *διψάς* adiectivi vim habet (cf. Nonn. Joh. I. 320. *λευκὰς χαίτη*) nec diversum est a *λευκή*. Nicander autem plantae speciem appellat, quam etiam Diosc. III. 113 contra marina venena commendat. Eandem analogiam sequuntur *γυμνάς* a *γυμνός* ductum aliaque a Nicandro nove procusa (cf. Lob. Proll. p. 441 sq.), quae mox tractabo. — *μυρτάς* semel in Th. 513 legitur; nec potest de vocis origine (Lob. Proll. p. 453.) dubitari. Alterum nomen est *μυρτίς* Al. v. 355. Lobeckius quidem inter *μυρτάς* et *μυρτίς* hoc discrimen esse statuit, ut *μυρτίς* myrti fructum, *μυρτὰς* bruscum significet; Nicander tamen *μυρτάς* in alium sensum accepit, de quo Scholi-

---

[1]) Hesych. duplicem vocis explicationem profert, *περίβολος*, *αἵμασία* quae congruit cum *ὄρχος* ap. Hom. Od. VII, 127, aut *εἶδος ἐλαίας*, quod huc quadrat: cf. Schol. *πρημαδιὴ καὶ ὀρχὰς καὶ μυρτίνη εἴδη ἐλαιῶν εἰσιν.*

astae verba non alienum est audire: *Ἑρμῶναξ τὴν ἀγρίαν ἄπιον ἀχράδα φησὶν εἶναι· ἡ δὲ ἄπιος εἰς πολλὰ διαιρεῖται, καὶ βάκχη γὰρ λέγεται καί μυρτάς· πολυώνυμος γάρ ἐστιν.* Similiter Schol. Alex. *ἀχρὰς δὲ καὶ βάκχη καὶ μυρτίνη εἶδος ἀπίων.* Quae si cum poetae versibus conferuntur (Th. v. 512. *μέσον δ' ὡς ἀχράδα καρπὸν μυρτάδος ἐξ ὄχνης ἐπιόψεται ἢ σύ γε βάκχης ἢ ἀπὸ* et Al. v. 355. *ἄλλοτε δ' αὐαλέας δὴν ἀχράδας, ἢ ἀπὸ βάκχης μυρτίνης ὁτὲ μυρτίδας οἰνάδι βάλλων*), apertum est *μυρτάς* hoc loco non bruscum significare quod est apud Dioscoridem. Itaque *μυρτάς* ita discrepare debuit a *μυρτίς*, ut *μυρτάς* arborem ex *ὄχνης* genere, cui *μυρτίνη* Al. v. 355 nomen inditum est, *μυρτίς* arboris fructum significet.

Substantivorum seriem claudant nomina *ῥιζάς* et *σηπιάς*. Utrumque ortum esse e primitivo primae declinationis in *α* (*ῥίζα*, *σηπία*) exempla demonstrant, quae enumerat Lob. Proll. p. 443.

Pergimus ad adiectiva in *ας*, quae in duas classes commode distribui possint. Prior autem ita praevalet, ud ad alteram vix duo vocabula pertineant. Prioris enim sunt, quae ex adiectivis secundae declinationis orta in *ας* transeunt: *ἀγριάς*, *κατοικάς*, *κιρράς*, *οὐλάς*, *παυράς*, quorum usum (excepto *ἀγριάς*, quod habet Apoll. Rhod. I. 28. *φηγοὶ δ' ἀγριάδες*) Nicander primus invexit ad normam vocum *γυμνάς*, *μουνάς* et aliarum apud Lob. Proll. p. 441. Ceterum non modo *κατοικάς* sed etiam *κατοικίς* legitur; hanc tamen vocabuli formam a nonnullis codd. prolatam O. Schneiderus reiecit. Denique vox *οὐλάς* quid significet veterum dissentiunt interpretationes; nam Hesychius et Photius (*οὐλάδες πῆραι*) quibus Tzetz. ad Lycophr. 183 (*οὐλὰς γὰρ ἡ πήρα*) accedit, conspirant, Scholiasta vero *οὐλάδα δὲ τὴν ὑγιαστικήν* exposuit. Utut se habuit, poeta cum dixerit *οὐλάδα χαίτην* capillum densum vel comam opacam sive crispam indicavit. Quamobrem ab *οὖλος* adiectivo sine dubio derivavit.

In secundam classem adiectiva conscribo *βοσκάς* et *κηκάς*: quorum illud (quamquam adiectivum *βοσκός* existit) a verbo *βόσκω* progenitum esse Lob. Proll. p. 439. censet, hoc quod iam Callim. fr. 253. (*κηκὰς γλῶσσα*) habet, cum verbo *κηκάζω* cohaerere (cf. Lycophr. 1384.) facile intelligitur.

Ad substantiva in *ις* progredimur quae illis in *ας* proxi-

ma sunt, ita ut haud raro, quod supra dictum est, duae terminationes sine ullo significationis discrimine confundantur. *μοιρίς* Al 329. et *ῥιζίς* Al. 403., quorum illud adiectivum an substantivum sit, dubitari potest, hoc vero non ambigue conspirat cum *ῥιζάς* et *ῥίζα*. Nec deest similitudo qua ductus poeta voces istas bifariam formarit. Nam ut *μηνάς* et *μηνίς*, *σειράς* et *σειρίς* (Lob. Proll. p. 450. sq.) aliisque in vocabulis forma duplex sensu aequiparatur, sic Nicander *ῥιζάς* et *ῥιζίς*, *μοιρίς* (sive var. lect. unius cod. *μοιράς*, Lob. Proll. p. 452.) novare ausus est. Illud igitur aspernatus aliorum sententiam, qui adiectivum agnoscerent, nuper O. Schneiderus p. 293 idem valere quod *μοῖραν* existimavit, cum eoque faciunt Scholiasta (*ἴσην μοῖραν λαμβάνειν σιλφίου καὶ ὀποῦ*) et Eutecnius, *λάμβανε δὲ καὶ ὀπὸν τὸν ἰσοστάσιον τοῦ σιλφίου σταθμόν*. Eodem ducunt plantarum nomina in *ις*, quae propria est et creberrima eorum terminatio: cf. Lob. Proll. p. 476. *ἀνεμωνίς* fr. 74, 64 et *βρυωνίς* Th. 858 alternant exitum in *η* primae declinationir. Iam *βρυώνη* ipsum Nicandri vocabulum est (Th. 939. cf. Parall. p. 321.), *ἀνεμώνη* Theophrasto placuit. Quae sequuntur, *καρδαμίς* Al. 429 433., et *κυκλαμίς* Th. 892. vulgari plantarum generi inserenda sunt; ab hoc *κυκλάμινος* Th. 945 originem habere ostendit Lob. Proll. p. 208. Aliter res se habet in nominibus *καυκαλίς* et *ὀξαλίς* (Th. 843. 840.), quae cum prioribus similiter quidem finiuntur, sed insolentiae quiddam propter paenultimam *αλ* subest, quam Nicander ad similitudinem vocabulorum *δορκαλίς*, *μυρταλίς*, *τροφαλίς* (cf. Lobeck. Proll. p. 97.) inseruit.

ἐπιτηλίς et *θυλακίς* (Th. 852) poeta duo papaveris genera vocat. Schol. *γένη εἰσὶ μηκώνων, ὧν ἡ μὲν τέλεια θυλάκια φέρει, ἐν οἷς τὸ σπέρμα, ἡ δὲ μικρά· θυλακὶς οὖν ἡ τὰ μικρά, ἐπιτηλὶς ἡ τὰ μεγάλα.* Neutrum a consueta vocabulorum specie abhorret. — *γηθυλλίς* Al. 531 quamvis a prioribus non prorsus alienum, tamen segregandum esse puto, quod et forma et significatione deminutivum prodit. Similia Lob. Proll. p. 128. (*ἀνθυλλίς*, *ἀκανθυλλίς*) collegit.

Subsequuntur quattuor terminata in *ιτις*, *θαμνῖτις* Th. 883., *ὀνῖτις* Al. 56., *ὀραμνῖτις* fr. 84,3., *πεταλῖτις* Th. 864., quae Nicander primus et solus obtulit. Nota sunt gentilicia

in *ιτης* et *ιτις*, a substantivis secundae declinationis ducta: cf. Lob. Parall. p. 50. sqq. Buttm. gr. ampl. II. 431. Habuit autem poeta, ad quae artificia sua exigeret, nomina *δειπνῖτις*, *δενδρῖτις*, *δωρῖτις*, *νησῖτις* alia ab aliis auctoribus prolata. — Restat ut aliquot adiectiva commemorem, quae ab hoc ordine separari non debent; nam adiectiva *ἐλατηίς* Al. 611., *δρεπανηίς* fr. 21., *ἀθερηίς* Th. 849., *θριδακηίς* Th. 838, quae Nicander confinxit, eidem legi sermonis subiecta sunt. Et *ἐλατηίς* quidem unde fluxerit, facile reperitur. Nam similitudinem eorum nominum sequitur, quae feminina ab adiectivis in *αιος* mutuantur, velut *Λιλυβηίς*, *Ἰδηίς*, *ἀγεληίς*, cf. Lob. Proll. p. 465. Huic consimilem exitum habent, quae a substantivis secundae declinationis manarunt; ad horum igitur amussim direxit poeta *Κολχηίς* Al. 249. (cf. *Ζεφυρηίς*) et *δρεπανηὶς Ζάγκλη* (cf. Apoll. Rhod. I. 880 *σιμβληὶς πέτρα*). In vocabulis *θριδακηίς* (a nomine *θρῖδαξ*) et *ἀθερηίς* (a nomine *ἀθήρ*) fingendi ratio minus apparet (cf. Apoll. Rhod. I. 1066 *ἀλσηίδες Νύμφαι*), nec reicienda Lobeckii sententia est, ‚poetas praesertim posteriores aliquoties in alienum tramitem declinasse.‘ Etiam veterum grammaticorum de his sententia fluctuat, quippe qui partim a substantivis in *ευς* ea repetant, partim pleonasmo vocalis *η* explicent.

Postremo notandum est Nicandrum sine ullo auctore adiectiva *ἠρυγγίς* Al. 564 ab *ἤρυγγος* et *χαλβανίς* Th. 938 a *χαλβάνη* novasse.

II. Adiectiva.

Exordiar ab adiectivis in *ειος*.

Horum apud Nicandrum tanta seges provenit, ut accurate describere ac licentiam, cui in illis formandis poeta obsequatur, subtiliter constituere nec tempus nec locus sinat. Inde quaestionem magis adumbrare quam absolvere placet.

Haec igitur adiectiva cum in duas classes tribuantur, quarum altera in *ηειος*, altera in *οειος* terminatur, ita rem agemus, ut in utroque ordine primum exempla ad vulgarem usum accommodata, tum legitimae rationi repugnantia spectentur. Constat autem vocalem, quae terminationem *ειος* praecedat, plerumque in nominibus primae declinationis esse *η* (Buttm. gr.

ampl. II. p. 453. Lob. Elem. I. p. 343. 353), in secundae et tertiae *o* (Elem. I. 457. Rhem. p. 182). Quae lex quamquam permultis exemplis firmatur, interdum tamen a vetustissimis poetis est debilitata vel neglecta, velut in vv. *σκιόεις*, *δενδρήεις*, *φοινήεις*. Quo minus miramur recentiorum inventa longius ab illa lege recessisse. Nicander autem potissimum terminationem in *ηεις* dilexit: cuius rei documento sunt *ἀκανθήεις* Th. 638., *ἀραχνήεις* Th. 733., *αὐγήεις* Th. 34., *ἐχιδνήεις* Th. 209., *κραμβήεις* Al. 330., *ὀδμήεις* Al. 437., *ὀλκήεις* Th. 651. 908., *πισσήεις* Th. 717., *τραπεζήεις* Th. 526., *χραισμήεις* Th. 576., *ὑδρήεις* Th. 26.

His accedunt adiectiva in *ηεις* quae cum illi grammaticae normae non pareant, tamen exemplis vocum non destituuntur simili ratione figuratarum: *αἰθήεις* Al. 394., *ἀκοσμήεις* Al. 175., *ἀλθήεις* Th. 84., *ἀμυδρήεις* Th. 274., *ἀνομβρήεις* Al. 288., *κακανθήεις* Al. 420., *κεντρήεις* Al. 146., *κισσήεις* Th. 510., *λοιγήεις* Al. 207., *ῥικνήεις* Th. 137., *σιδηρήεις* Al. 51., *ὑψήεις* fr. 74, 62., *ὑπαργήεις* Th. 663. — Horum maior pars praestantissimorum poetarum exemplis confirmatur. Cum iisdem comparari possunt *δαφοινήεις*, *θουρήεις*, *πελιδνήεις*, alia ap. Lobeck. Elem. I. p. 346., nec reliqua sine auctoritate poetam finxisse haud exiguus adiectivorum numerus testatur, probis auctoribus frequentatus; eodem enim modo *ἀχθήεις* ab *ἄχθος*, *κυδήεις* a *κῦδος* facta quis neget? Etiam *κακανθήεις* et *ὑπαργήεις* ad speciem eorum aptata sunt, quae terminationem adiectivam *ης* in *ηεις* transformant; item ut *ἀπεχθήεις*, *ἐρευθήεις*, *ἀτειρήεις*, *αλιμυρήεις*, (Lob. Elem. I. p. 346.). Vocem autem *ὑπαργήεις*, quam idem valere quod *ὑπόλευκος* Scholiasta affirmat, Nicander ad instar simplicis *ἀργήεις* (Pind. Pyth. IV. 8. Nic. Th. 105. Al. 98.) formavit.

Jam aliquot adiectiva enumeranda sunt in *ηεις*, quae similibus carent; nec facile dixerim, e quo fonte singula poeta derivaverit.

ἀιδρήεις Al. 415 ab Homerico *ἄιδρις* intellectu non differt, quod cum substantivo *ἀιδρείη* epicis (Hom. Od. X. 231. Hes. O. 683.) Herodotoque (VI. 69.) usitato ex eadem stirpe natum est. — *ἀκινήεις* Al. 436., quod sensu congruit cum *ἀκίνητος*, quamquam analogia carere videtur, tamen quodammodo divi-

nari potest quo pacto Nicander ab verbo *κινῶ* in terminationem *ηεις* traduxerit. — *βρωμήεις* Al. 409. 486 ad asini speciem pertinere cum verbis Scholiastae (*βρωμήεντος τοῦ ὄνου παρὰ τὸ βρωμᾶσθαι· βρωμήτορος, ἤγουν τοῦ ὀγκητικοῦ.* O. Schneid. p. 206.) tum ex vocabulis ex eodem fonte derivatis (*βρωμήτωρ* Th. 357., fr. 74, 30. *βρωμήτης*, *βρώμησις* Ael. N. A. III. 7, Poll. V. 88.) elucet. Nihil igitur ad rem, utrum ab verbo repetierit Nicander an ab nomine *βρῶμος* (ut *κισσός*, *κισσήεις*). — *ἐπαυχμήεις* fr. 70, 2., quod O. Schneiderus Nicandro restituit (cf. p. 87.), praemunitum habet simplex *αὐχμήεις* in Hom. hymn. XV. 6.

Numerus adiectivorum Nicandreorum in *οεις* priorem superat: *ἀγριόεις* Al. 30. 604., *ἀμαρακόεις* Th. 503., *ἀμυγδαλόεις* Th. 851., *ἀργυρόεις* Al. 54., *βατόεις* Al. 276., *βρυόεις* Th. 208., *γονόεις* Al. 101., *ἐγκατόεις* Th. 580., *ζοφόεις* Th. 775. Al. 474., *θυλακόεις* Al. 403., *θρυόεις* Th. 200., *ἰκτερόεις* Al. 475., *ἑλικόεις* Th. 201., *ἰρινόεις* Al. 455., *καχρυόεις* Th. 40., *κληματόεις* Al. 85. 531., *μηλινόεις* Th. 173., *μυελόεις* Th. 91., *ὀριγανόεις* Th. 65., *ὀπόεις* Al. 319., *οὐθατόεις* Al. 90. (cf. *ὑδατόεις*), *πεδόεις* Th. 662., *πηγανόεις* Al. 154., *περιστερόεις* Th. 860., *σιλφιόεις* Al. 329., *σκορπιόεις* Th. 654., Al. 151., *τυμπανόεις* Al. 342., *τυλόεις* Th. 272., *ὑποζοφόεις* Th. 337., *ὑσγινόεις* Th. 870., *φαρμακόεις* Al. 4., *χιονόεις* Al. 512. — *ἀργυρόεις* (i. q. *ἀργύρεος*), quod excepto Parisino praestantissimo omnes libri legunt, O. Schneid. (cf. p. 278.) recipiendum esse censuit ‚ob singularem Nicandri in eiusmodi adiectiva amorem'. — *ὑποζοφόεις* ab O. Schneid. ex optimi cod. auctoritate repositum pro *ὑποζοφόωσα*[1]), Nicander qui ipse simplex nove procudit, ad exemplar adiectivi *ὑπαργήεις* componere non dubitavit.

Haec subsequantur adiectiva quae etsi vulgarem formandi usum spernunt, tamen omni similitudini non repugnant. *ἀφριόεις* Al. 206., quomodo noster elaboravit clare perspicitur

---

[1]) quod ad significationem adiectivorum in *εις* attinet, dignum esse videtur, quod animadvertatur nonnulla fere idem valere atque participium praesens (cf. Lob. Rhem. 180. qui aliquot exempla attulit, quibus altera alteris creberrime confusa esse probatur), nonnulla vero ab adiectivis in *ωδης* non discrepare (cf. Schaefer. ad Apoll. Rhod. p. 190.).

si EM. verba 756, 17 (*ἐκ τοῦ τεῖχος γίγνεται το τειχόεις καὶ πλεονασμῷ τοῦ ι τειχιόεις*, quicum cf. Lob. Rhem. p. 181.) rite aestimantur. — *βλαβόεις* Al. 186., *γλαγόεις* Th. 923., *θερόεις* Al. 512., *μυδόεις* Th. 308. 362., *πνιγόεις* Th. 425. fr. 78. omnia proseminata esse e substantivis neutrius generis *βλάβος γλάγος, θέρος, μύδος, πνῖγος* apertissimum est; quod etiam aliis multis eiusmodi vocabulis egregie confirmatur, ut *θυόεις, λεχόεις, κρυόεις* (Lob. Rhem. p. 181. Elem. I. 352.). — *γλυκόεις* Al. 444 a *γλυκύς* derivatum esse uno exemplo (*βαρόεις*) comprobari licet (Lob. Elem. I. 345. 352. Parall. p. 335. n.), nisi quis ut *γλαγόεις* a *γλάγος* sic a substantivo *τὸ γλύκος* (i. q. *γλεῦκος*) traducere praeferat, quod mustum (ap. O. Schneid. semper *τὸ γλυκύ*) apud Nicandrum saepius significat, hic vero *πότος γλυκόεις* esse potum musteum dilucidissimum est. — *ἰξιόεις* Al. 279 epitheton poeta nomini *πῶμα* attribuit, ut potum e plantae *ἰξίας* succo praeparatum significaret. Eandem vero herbam cum appellari *ἰξία* iterum ac saepius veterum testimonia probent (cf. Schol. ad h. l. *ἰξία δὲ καὶ βούπρηστις σιλφίων γένη μελαινῶν*), quid obstat, quominus Nicandrum ut Hom. a *σκιά σκιόεις* (apud hunc ipsum *ὀργυόεις* Th. 216. Lob. Elem. I. p. 343.) sic ab *ἰξία ἰξιόεις* finxisse accipiamus? — *ναυσιόεις* Al. 83. 482 omni similitudine carere videtur, nisi participium *ναυσιόων* a verbo *ναυσιάω* (Aristoph. Thesmoph. 882.) confectum Hippocratique quod placuit nomen *ναυσίωσις* adducuntur, quibus poetae aliqua exoritur excusatio. Accedit etiam illud, quod Aetius (ap. G. Schneid. p. 233.) eundem morbum descripturus dicit: *ἔπειτα ναυτιώδεις γινόμενοι.* — *σιδόεις* Al. 276 omnino ad arbitrium suum ac temere poetam formasse videt, quisquis substantivum *σίδη* adiectivi principium esse novit. Sed non tantum hoc mirabimur, si Graecorum scriptores saepe ad id, quod dici poterat, quam quod sermo permittebat, vocabula effingere maluisse respexerimus. — *χαλβανόεις* Al. 555 non minus quam prius a vulgari formatione recedit nec discerni potest, quomodo hanc terminationem in *οεις* a nomine *χαλβάνη* assecutum sit, nisi forte metri ratione poetam coactum fuisse liberius adiectivum effingere cogitamus.

Adiectiva in *ηρης*.

In his praecipue hoc videndum est, quomodo ad gram-

maticorum canones, qui de formandis his adiectivis copiosius disseruerunt, comparata et fabricata sint. Nec pauca verba de hac re Lob. Proll. p. 266—270. et Lehrs. quaestt. epic. p. 156. sqq. fecerunt. Ex veterum testimoniis (cf. Lehrs. l. l.) apparet illos omnia haec adiectiva simplicia, non coniuncta ordinique paragogarum inserenda esse iudicasse, quae veterum sententia multis exemplis imprimis vetustissimorum poetarum refutatur, quae terminationi *ηρης* propriam vim infuisse apertissime docent. Sed ut temporibus omnibus omnes apud gentes fieri solet, ut ea, quae primo ortu rata fuerunt certeque expressa nec prorsus deesse debuerunt, postea genuina vi vel usu detrita vel oblitterata magis magisque oblivione obruantur, sic antiquis quoque Graecorum temporibus propria cum singulorum verborum tum terminationum vis et sensus e memoria elapsus est. Quo facile fieri potuit, ut eas terminationes, quarum genuina potestas ex hominum mentibus exciderat, vocabulis iis insererent, a quibus praecipue abhorrere debebant. Ita primum quidem ex intellectus ratione vocabula legitime figurata sunt, ut *λογχήρης*, *τειχήρης*, *χαλκήρης* alia (Lob. Proll. p. 266.), quae minime in simplicium ordinem cedunt. Quantum vero ab his Nicandri artificia discrepent, facillime intelligitur, si singula considerantur, quidque unumquodque valeat, ponderatur. Quis enim verba *διψήρεας ὄγκους* (Th. 371.) aliter interpretabitur quam *διψίους ὄγκους*? quis cum serpentis dentes legerit *δολιχήρεες* (Th. 183.) a poeta esse appellatos, una cum scholiasta (*δολιχήρεες δὲ ἤτοι μακροί*) eum longitudinem indicasse non cogitaverit? Quod vero ad *ἐνομήρης* (Al. 238.) *ομήρης* (Al. 70.), *συνομήρης* (Al. 449. 607.) adiectiva pertinet, quorum triplicem numerum Nicander novavit, horum unum *ὁμηρης*, *ὁμήρεα κόψας* (et Th. 236. *ἐναολλέα κόψας* eodem sensu) cum diceret poeta, a simplici *ὁμός* non seiunxit; quicum alterum *ἐνομήρης* (*ἐνομήρεα φύρων*) pulcherrime consentit; tertium denique, quod in duobus versibus legitur, in altero ubi scriptum extat *συνομήρεες*, ‚communes', ‚consociatos' significat, in altero vero verba *συνομήρεα φώξας* luculenter demonstrant id non differre ab *ὁμήρεα* et *ἐνομήρεα*. In reliquis adiectivis (*λιχμήρης* Al. 206., *ὀλιγήρης* Th. 284., *ὀλκήρης* Th. 351. 356., *ὀμ-*

βρήρης Th. 406., *ὀσμήρης* Al. 237., *συνήρης* Al. 512.) genuina notio terminationis *ηρης* prorsus evanuit.

Pergamus ad adiectiva in *αιος*.

Ingentem eorum numerum Nicander septem novis, quae huic uni nec cuiquam ante nec post placuerunt, locupletiorem reddidit. Quorum tria intra grammaticae terminos novavit; nam ut *πηγαῖος* a *πηγή*, *κρηναῖος* a *κρήνη*, *ἀγοραῖος* ab *ἀγορά* (cf. Matth. gramm. p. 28. Buttm. gr. ampl. II. p. 445.) profluxisse constat, ita hic *δοχαῖος* (Th. 619. Al. 21.) a *δοχή*, *μελισσαῖος* (Th. 611.) a *μέλισσα*, *νομαῖος* (Th. 67.) a *νομή* legi obsecutus formare potuit. Reliqua vero propterea huic seriei eripi necesse est, quod Nicandri poeticam libidinem insigniter ostendunt. Postulat enim grammaticae regula, ut duo genera adiectivorum in *αιος*, unum eorum, quae mensuram et pretium significant, alterum a partibus corporis denominatum, semper tamquam sui proprium secum ducant iota vocalem ante terminationem *αιος* (Lob. Elem. I. p. 457. Phryn. p. 542. sqq.). Hanc igitur rationem omittere non debebat, si analogiam sibi subvenire voluit; sed poetica sua libertate usus supprimendo vocalem iota *δραχμαῖος* (Th. 519.) et *νωταῖος* (Th. 317.) scribere non veritus est. — Adiectivum *ἐχιαῖος* (Th. 230.) cur cum *δοχαῖος* ceterisque non conciliaverim, causa est haec, quod legitime quidem a nomine *ἔχις* propagatum codd. scriptura non probatur, qui (cod. optimus Paris. omisit versum) *ἐχιναῖος* adiectivum loci sensum misere perturbans scriptum exhibent. Itaque O. Schneideri emendationem (p. 139.) libenter amplector, qua loci sententia probe restituatur. — Quod superest adiectivum *χαλίκραιος* Al. 29., quo Nicander solus sine dubio usus est, quodque significatione ab adiectivo *χαλίκρατος*[1]) non discrepat, nescio an huic ordini iure inserendum sit.

Adiectiva in *ωδης*.

Notissima est et veterum et recentiorum grammaticorum inter se dissensio de significatione terminationis *ωδης*. Buttm.

---

[1]) Hesych. *χαλίκρατον. ἄκρατον.* Schol. Apoll. Rhod. I. 474: *χαλίκρατον δὲ λέγει τὸν ἄκρατον οἶνον, ὅτι τὰς φρένας χαλᾷ. Ἀθηναῖοι δὲ τὸν ἄκρατον χάλιν λέγουσιν· καὶ Αἴσχυλος τὰς Βάκχας χαλίδας ἔφη.* Naeke Choeril. p. 217. Schaef. ad Choeril. p. 273.

gr. II. p. 449. et Matth. gram. p. 284. si audimus, ille omnia adiectiva in *ωδης* cum in *οειδης* exeuntibus concilianda certum esse accipit, hic cum in universum in dubio reliquerit, unde terminatio progenita sit, tamen omnia ea, quae sensu cum adiectivis in *οειδης* congruant, ex eodem cum illis fonte profluxisse ducit (cf. Schaef. ad. Apoll. Rhod. p. 190. Bredov. de dial. Herod. p. 196). Utramque vero sententiam veterum testimonia[1]) refutant, quae vera esse existimarunt Lob. (Elem. I. p. 458. sq. Phryn. p. 228. id. ap. Buttm. gr. II. p. 450) et Lehrs. (quaestt. epic. p. 164) et Bredov. l. l., quorum ille, qua de causa accentus mutatus litteraeque *οει* aliter ac vulgo soleant contractae sint, nequaquam se intelligere recte mihi quidem contra dicere videtur. Atque aestimatis quidem diversis iudiciis Nicandri singula exempla videnda sunt, quorum octo primum orationi invexit. Primum vero de adiectivo *βροχώδης* (*ὑπὸ βροχώδει λίμνῃ* Th. 366.) aliqua exoritur difficultas. Neque enim lexica id offerunt, nec Scholiastae, qui hanc explicationem attulit: *ἢ ἀνύδρῳ ἢ ξηρᾷ· ἔνθεν καὶ βρόχθος. ἢ κοίλῃ ἢ ὀλίγον ὕδωρ ἐχούσῃ*, quid valeat, plane clarum fuisse videtur. Quem vero locum G. Schneiderus ad Th. p. 140 ex EM. (s. v. *Βούβασις*) annotavit, hunc si comparamus, nihil aliud indicasse potest nisi ‚limosus'. Quod si verum est, huic quoque loco singulariter accomodatum esse sequentia poetae verba declarant. E nomine vero *βρόχθος* originem habeat necesse est. — Quae nunc proferenda sunt adiectiva, *ῥηχθώδης* Al. 230 (Schol. *γράφεται ῥηχώδεος καὶ τρηχώδεος ἀμφότερα κατὰ τοῦ αὐτοῦ σημαινομένου, τῆς τραχείας*), *σχοινώδης* Al. 152, *ταυρώδης* Al. 222, *σπειρώδης* Al. 253. 527 (Schol. *τὰ πολλὰ σπεῖρα, ἤγουν ἐνδύματα ἐχούσῃ*), *φιμώ-*

[1]) Bekk. anecd. III. p. 1243. (Choerobosc. can. 436, 10.) *παρὰ τὸ λεῖον οὖν ἐστὶ λειώδης παράγωγον. οὐδὲ γὰρ δύναται εἶναι σύνθετον, ἐπειδὴ καθόλου τὰ διὰ τοῦ ωδης ἅπαντα ἢ ἁπλᾶ εἰσὶν ἢ παρασύνθετα, οὐδέποτε δὲ σύνθετα. ἢ γὰρ ἀπὸ ἁπλῶν παράγονται καὶ εἰσὶν ἁπλᾶ, οἷον πετρῶν πετρώδης, λιθῶν λιθώδης, ἢ ἀπὸ συνθέτων παράγονται καὶ εἰσὶ παρασύνθετα ὡς ἐπὶ τοῦ δυσώδης καὶ εὐώδης· ἀπὸ γὰρ συνθέτων τῶν δυσάων καὶ εὐάων γεγόνασι δυσαώδης καὶ εὐαώδης καὶ κατὰ κρᾶσιν· τοῦ α καὶ ω εἰς ω δυσώδης καὶ εὐώδης.*

δης Th. 892. (Schol. φιμώδεα δὲ μέλανα καὶ στυπτικά), φοινώδης Al. 489, omnia e nominibus (ῥᾶχος, ion. ῥῆχος, σχοῖνος, ταῦρος, σπεῖρον, φιμός, φοινός) proseminata sunt, quod vero ad significationem attinet, cum illa τοῦ εἴδους notione prorsus conciliari non possunt. — Unum denique reliquum est βαρυώδης Th. 895, quod Nicandro soli probatum a ceteris ob eam rem seiungendum est, quod eius terminatio ωδης propriam suam vim habet nec a βαρύοδμος, quod ipsum huic soli placuit differt; si forte quis similia desideret, Homerica adiectiva εὐώδης, δυσώδης collata ei satisfacient.

Adiectiva in ειδης.

Quae eorum genuina sit potestas, ex unoquoque exemplo clare intelligitur. Nam terminatio ipsa ειδης, quae cum nomine εἶδος cohaeret, dubitari non sinit, quin similitudinis notio in posteriori cuiusque parte expressa sit. Haec cum vis propria adiectivorum in ειδης sit, illa enumerasse satis esset, nisi quid in duobus lateret, quod praecipue notatu dignum esse videretur. Primum enim de adiectivi λαχειδής Al. 568 significatione parum certi statutum esse ex diversis veterum interpretum iudiciis (cf. G. Schneid. ad Alex. p. 273.) late patet; nec quemquam huius aetatis virorum eruditorum de hoc vocabulo satis disseruisse vidi; Scholiasten cum adscripserit δασύς, rem recte explicasse Lobeckio (Proll. p. 177. n.) veri simillimum esse videtur; quem unum hanc interpretationem accepisse inveni. — Adiectivum ἑτερειδής Al. 84 singulare exemplum est, in quo ob versus fortasse mensuram poeta vocalem ο principalem in ceteris adiectivis in ειδης observatam detrudere ausus est (cf. Lob. ap. Buttm. gr. ampl. II. p. 450); praeterea eiusdem modi adiectiva duo modo (θεειδής Antiphon. ap. Eust. p. 378., Bekk. anecd. 263, 31 et EM. 134, 24 σιοείδης σιείδης συγκοπῇ τοῦ ο) reperiuntur. Quae restant adiectiva tria in ειδης intra legitimos grammaticae terminos poeta inclusa esse voluit, cum χολοειδής Th. 435 a χολός, ὠκιμοειδής Al. 280 ab ὤκιμον, κεροειδής a κέρας (cf. κερόεις eadem significatione Al. 135) eodem pacto formata sint, ut Homericum ἰοειδής et alia.

Adiectiva in μων.

Ac primum quidem videamus, quot quaeque Nicander adiectiva in μων nove procuderit, deinde quam rationem et

viam persecutus talia novaverit. Nullum exemplum in Theriacis reperi, ex Alexipharmacis vero quattuor erui unius Nicandri artificia, *ἀνθήμων* 610, *βλαστήμων* 546, *λιχμήμων* 37, *λωβήμων* 536, quae si accurate consideramus, omnia solita ratione a poeta figurata esse clarum fit. Docent enim veteres grammatici (Eust. 1019, 40. EM. 464, 27) adiectiva in *ημων* plerumque a futuris verborum repeti, i. e. a futuri verbi puri vocali producta. Quod cum amplectamur, nihil impedimenti adest, quominus nostrum adiectiva quae primus linguae induxit, apte conformasse confiteamur (Lob. Proll. p. 159. Parall. p. 452). Nam nomen quodque ad suum verbum pulcherrime quadrat, *ἀνθήμων* ad *ἀνθέω*, *βλαστήμων* ad *βλαστέω*, *λιχμήμων* ad *λίχμάω*, *λωβήμων* ad *λωβάομαι*. Postremum de adiectivis *λιχμήμων* et *λωβήμων* aliquid adiici oportet. Quorum prius O. Schneid. (p. 277) ex optimi cod. Paris. auctoritate contra alios, qui *λιχμήρης* praebent, in carminum suum exemplar recepit; posterius, quod ipsum quoque illi Paris. debetur, O. Schneid. in suum usum convertere non dubitavit, ceterorum librorum scripturam *λωβήτορας* (Maneth. VI. 211) quamvis sensui aeque ac *λωβήμονας* aptam reiiciens.

Adiectiva in *αλεος*.

Horum multitudinem Nicander sex his exemplis auxit: *ἐχθραλέος* Al. 594, *ἐψαλέος* Al. 552, *πιαλέος* Al. 360, *ῥυσαλέος* Al. 181, *τινθαλέος* Al. 445. 463, *ὑπναλέος* Th. 162. Al. 85 (Nonn. D. IX. 281). Legem autem quam sequuntur EM. et Suidas s. v. *ῥωγαλέος* (*ταῦτα ἀπὸ τριῶν παράγονται μερῶν, ἀπ' ὀνόματος δειμαλέος, ἀπὸ ῥήματος οἰδαλέος, ἀπὸ ἐπιῤῥήματος ῥιμφαλέος*. Lob. Proll. p. 98 sqq.) luculenter ostendunt, qua si ea metimur, quae Nicander nove procudit, nullum extat, quod extrinsecus arcessitum aut temere effectum est; nam unumquodque similibus exemplis probari potest. Quemadmodum enim apud Hesiod. O. 588 *αὐαλέος* profluxit ab *αὖος*, apud Hom. Il. XVIII. 571 *λεπταλέος* a *λεπτός*, sic Nicander *ἐχθραλέος* ab *ἐχθρός*, *πιαλέος* a *πιών*, *ῥυσαλέος* a *ῥυσός*, *τινθαλέος* a *τινθός* derivare sibi licitum esse putavit. A verbo autem *ἔψω* eodem iure *ἐψαλέος* fingere potuit ut Hom. Il. XI. 494 *ἀζαλέος* ab *ἄζω*. Nec *ὑπναλέος* analogia privatum est; nam

permulta posterius tempus novavit, (ut *αὐχμαλέος*, *κρυμαλέος*), quorum non pauca Nonno debentur.

Adiectiva in *ηλος*.

Numerum eorum Nicander formandis tribus adiectivis amplificavit; quorum origo si respicitur nemo est, qui non videat a substantivis omnia esse progenita. Nam *καπηλός* Th. 54 e *κάπος*, *ῥιγηλός* Al. 220 e *ῥῖγος*, *ὑπηλός* Th. 189 ex *ὖπος* eodem pacto deducta sunt, ut *ὑψηλός* ex *ὕψος*. Nam equidem me non intelligere confiteor, cur Lob. Proll p. 109 *ὑψηλός* ab adverbio *ὕψι* propagare, quam a substantivo *ὕψος* maluerit, quaeque causa adsit, cur aliter atque adiectiva in *αλεος* derivari oporteat. Eiusdem sententiam quamquam refutare non possum *ῥιγηλός* a verbo potius *ῥιγέω*, quam a substantivo *ῥῖγος* deducendum esse, tamen me nequaquam in partem suam eum traxisse profiteor; nam cum *ῥιγαλέος* (l. l. p. 100) tertiae declinationis nomini attribuendum esse censeret, qua de causa *ῥιγηλός* non in eodem loco poneret, non satis explicavit. — Reliquorum vocabulorum principia in aperto sunt; nam *καπηλός*, quo ex alio fonte nisi e nomine *κάπος* profluxerit, nemo videt; *ὑπηλός* vero, etsi in quibusdam recentiorum scriptorum locis verbum *ὑπάω* (ion. *ὑπέω*) indagatur, tamen, qui ad substantivum referat, eum non erraturum esse mihi persuasum habeo.

Quibus peractis transeamus

III. ad adverbia,

quorum multa in *δην*, compluria in *δον*, unum in *δα* Nicandri arti debentur.

Adverbia in *δην* duodecim in poetae carminibus inveni, quae hac dissertatione perpendantur necesse mihi esse videtur. De origine vero et derivatione eorum multa exquisite docuerunt et veteres grammatici et nostri temporis viri docti, inter quos Matth. gram. p. 680. sq. et Buttm. gr. ampl. II. p. 452. nominandi sunt; praecipue vero Lobeckius Elem. I. p. 408. 332. sqq. Parall. I. p. 152. 599. tanta doctrina tantaque mentis sagacitate de adverbiorum principiis ac formatione disseruit, ut magis quod congessit, in usum meum convertere debeam,

quam nova afferre possim. Itaque mihi placet inventa Nicandrea ad eius praecepta potius aptari, quam quod haudquaquam amplificare possim, temere exscribere et repetere. Nunc singula videamus.

ἀμμίγδην Th. 41 et *συμμίγδην* Th. 677, quae adverbia composita carminibus suis induxit, minus audacter eum hoc fecisse ostendunt, si iam priori aetati simplex *μίγδην* (e. g. Hom. hymn. Merc. 494.) usitatissimum fuisse consideratur. Quare facillime poeta utroque composito uti potuit, quorum unum *ἀμμίγδην* altera forma *ἀναμίγδα* ap. Soph. Trach. 516. et ap. Nic. ipsum Al. 545 legitur. Notissimum enim est, quam multi veteres scriptores imprimis poetae in variandis adverbiorum terminationibus fuerint, quibus, ut unum modo exemplum ex plurimis adscribam, non solum *μίγδα* et *μίγδην*, verum etiam *μίγα* et *μιγάδην* (Al. 277. 349.) probata erant. Hanc enim adverbii formam Nicander non reiecit, sed in duobus carminum versibus adhibuit; 'quod ad exemplar vero procuderit, difficile est dictu. Nam etsi multa adverbiorum exempla reperiuntur, quae in *αδην* finita a nominibus Matth. et Lob. viri Ill. traducta esse docuerunt, tamen non facile apparet, quomodo *μιγάδην* ad hanc legem aptum sit. Virum autem doctissimum Lob. non prorsus sibi constantem fuisse puto, qui uno loco (Parall. p. 153.) specimen eorum quae a nominibus propagentur, praebere voluerit, altero loco (Elem. I. p. 408.) in eorum numerum referendum esse censuerit, quae *α* epentheticon sibi arcessiverint. Utut res sese habet, ab analogia *μιγάδην* desciscit; nam forma tametsi cum permultis adverbiis congruit, tamen si formandi lex spectatur, in solitudine relicta esse videtur. — *ἐπιδρομάδην* Th. 481. et *λοχάδην* Th. 125. similibus non carent, nec quicquam poetam impedivit, quominus haec ad illa, quorum frequentissimus est usus, accommodaret; nam *καταλογάδην*, *δρομάδην*, *στολάδην* cum his in eodem loco versari nemo non videt. Nec magis morandum est in adverbio *ἐμπελάδην* Al. 215. — Cui subiungo *ἐμπλήδην* Al. 129., quod cum aliud adminiculum non adsit, ab adiectivo *ἔμπλεος* originem ducat necesse est; ex eadem stirpe Nicander adiectivum *ἐμπληθής* propagavit, quod alio loco non occurrit. — *μετρήδην* Al. 45., quod ex optimi cod. auctoritate (in aliis libris *μετρηδόν* cf. Al. 203.)

O. Schneid. in carminum exemplar suum recepit, cum e verbis circumflexis nullum adverbium nasci constet (Lob. Elem. I. 408), substantivo *μέτρον* deberi oportet. — *ποιφύγδην* Th. 371., *συμφύρδην* Th. 110., *φύγδην* Th. 21. tria adverbiorum exempla sunt, quae poeta legitima qua debebat ratione ex verborum stirpibus (cf. Lob. Elem. I. 408.) *ποιφύσσω*, *συμφύρω*, *φεύγω* deduxit, quicum pulcherrime congruunt notissima adverbia *κρύβδην*, *κλέβδην* alia. — Restant duo *στήδην* (pro usitatiore forma *στάδην*) Al. 327. et *σταλάδην* Al. 475., quorum utrumque e lege fabricatus Nicander multis exemplis probare potuit (e. g. *ἀμφάδην*, *βάδην*). *σταλάδην* ab O. Schneid. ex optimo cod. Paris. restitutum contra reliquos libros, qui *περιστολάδην*, quod misere versus sententiam implicat, omnes offerunt, multis adverbiis iam supra relatis ius suum legitimum testatur.

Subsequantur adverbia in *δον* et *δα*, *μετρηδόν* Al. 203., *μοσχηδόν* Al. 357., *οἰαδόν* Th. 148., *πανσπερμηδόν* fr. 72, 5., *ῥοιζηδόν* Th. 557., *ὠρυδόν* Al. 222., *ῥοιζηδά*[1]) Al. 122. 498.

Quoniam de *μετρηδόν* paulo ante satis disputatum esse mihi videtur, statim ad cetera transibo. — *μοσχηδόν* et *ῥοιζηδόν* aliis multis adverbiis aequiparata sunt; nam e substantivis secundae declinationis *μόσχος* et *ῥοῖζος* eadem via profecta sunt, qua *βαθμηδόν* et *ταυρηδόν* (ap. Nic. Al. 496.) a *βαθμός* et *ταῦρος* figurata sunt. Adverbium vero *ῥοιζηδά* nihil offensionis ei habet, qui quam saepe Graeci terminationes adverbiorum in *δα* variare solebant, iure meminerit (e. g. *ἀγεληδόν ἀγεληδά*, *καναχηδόν καναχηδά* Lob. Parall. p. 153., quae compluria diligenter contulit). Maior vero difficultas provenit in reliquis. *οἰαδόν*, quod paronymum esse Lob. Elem. I. p. 332 censet, ad similitudinem adverbii *μοναδόν* figuratum esse in aprico est. — *Πανσπερμηδόν* vocabuli nescio unde poeta originem duxerit; nam ne simplex quidem *σπερμηδόν* alicubi reperitur; *πανσπερμία* vero (ap. Plat. Tim. p. 73. C.), si fons est, e quo derivaverit, mira audacia nostrum ultra terminos

---

[1]) In *δα* unum modo Nicandro soli proprium extat; nam alia in *δα* vocabula ut *ἔμπεδα* Th. 4. pluralia neutrius generis sunt nec huic ordini danda.

evagatum esse evidentissimum est. Sed quamcunque traducendi viam persecutus est, etsi veri non dissimile est, si multa huius artificia solitaria respiciuntur despecta analogia suo usui, quod postularet, inserviisse: me quidem rem ad finem perducere non posse confiteor. — *ὠρυδόν* e verbo *ὠρύομαι* derivandum esse probabile mihi videtur. Nec absonum adverbiorum in *δον* exemplum est, quoniam similibus fulciri potest, quae a cuiusque temporis scriptoribus recepta sunt, (ut *σταδόν*, *χριδόν*, *ῥυδόν*, *χυδόν* cf. Rhem. p. 23. Elem. I. p. 332. n.).

Atque haec quidem hactenus. Quantum enim ad quaestionem, quam suscepi absolvendam desideretur, haud equidem ignoro. Ceterum cuiusque generis verborum multa etiam exempla restant, quae ne extremis quidem digitis attingere potui; praecipue adiectivorum in *ης* ingens multitudo reliqua est, quae Nicandro aut plane novare aut ex solitis terminationibus in hanc traducere placuit. At opus inceptum longius pertexere, quibus premor temporis angustiis non licet.

VITA.

Joannes Guilelmus Lingenberg natus sum Hoppersiae a. d. VII. Id. Iun. a. MDCCCXLI patre Carolo, matre Ida e gente Luengeniana, qui quod adhuc vivunt, maxime laetor. Fidem profiteor evangelicam. Usque ad aetatis annum quintum decimum ab ipso patre, quem benevolentissimo animo Wallenbornius ecclesiae catholicae sacerdos adiuvabat, litterarum elementis imbutus, Gymnasium Elberfeldense per VI annos frequentavi, quod sub Bouterwekii V. D. auspiciis etiamnunc floret. Hinc firmiter iactis fundamentis dimissus adii autumno a. MDCCCLXI universitatem Fridericiam Guilelmam Rhenanam, ubi studiis maxime philologiae operam navavi per quattuor spatia semestria, scholis adiutus Iahnii, Monnardii, Ritschelii, Ritteri, Schaarschmidtii, Schmidtii, Schopeni, Simrockii, Springeri, Sybelii, Wachsmuthi. Autumno a. MDCCDLXIII sedem illam litterarum cum universitate Fridericia Guilelma Berolinensi commutavi ibique audivi scholas Boeckhii, Droyseni, Hauptii, Huebneri, Muellenhoffii, Trendelenburgii. Quibus viris omnibus summas gratias ago eorumque erga me merita pio semper animo servabo.

3 0112 105480765

THESES.

I.

Versus Soph. Antig. 905—913 mihi spurii esse videntur.

II.

In Tac. Ann. I. 20 scripturâ „vetus operis ac laboris“ defendi potest.

III.

Hor. Carm. I. 3, 18 „siccis“ non eget emendatione.

IV.

Dialogus de oratoribus a Tacito non est abiudicandus.

V.

Imperium XXX virorum falso anarchia vocatur.

VI.

Iusto longius progrediuntur, qui Horatii epistolam A. P. in scholis legi iubent.